



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Bernardi Primi Clarævallensis Abbatis, Ordinis  
Cisterciensium Antesignani, melliflui Ecclesiæ Doctoris  
Sermones In Dominicis & Festa per annum**

**Bernardus <Claraevallensis>**

CVI. De tribus ad agendam pœnitentiam necessariis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39254**

SERMO CVI.

*De tribus ad agendam pœnitentiam necessariis.*

**T**res sunt status animæ: In corpore, posito corpore, recepto corpore. Primus datus est ei ad agendam pœnitentiam, reliqua duo ad habendam, requiem vel pœnam, scilicet prout gessit in corpore, sive bonum, sive malum: Ad agendam vero pœnitentiam tria sunt necessaria, tempus, corpus, & locus. Quod tempus sit necessarium, dicit Apostolus: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Similiter & de corpore idem scribit: *b Omnes nos oportet manifestari ante tribunal Christi, ut referat quisque propria corporis prout gessit.* Sed & de hoc loco loquitur Scriptura dicens: *Si ascenderit super te spiritus potestatem habentis, locum tuum ne deseras.* Porro tempus in tria dividitur, in præteritum, in præsens, in futurum. Horum nullum perdit quisquis rectè pœnitentiam agit. Nam præteritum quidem quod perdidit restaurat, dum in amaritudine animæ suæ omnes annos suos recogitat. Præsens autem tenet jam per exercitium operis. Futurum verò per constantiam boni propositi. De præterito loquitur Apostolus, cum dicit *d: Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* Ad præsentis vero operationem hortatur nos cum dicit: *Dum tempus habemus operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei.* Futuri nos admonet Dominus, cum ait *f: Qui perseveraverit usque in finem, salvus erit.*

Corpus quoque necessarium est ad agendam pœnitentiam. In corpore quippe possumus mala pati, & bona operari. Pati scilicet pro commissis delictis, operari pro adipiscendis æternis præmiis. Qui ergo corpore caret, dignos pœnitentiæ fructus facere quomodo valet? Et notandum, quod pœnitentia quæ per corpus geritur, brevis est & levis. Brevis, quia corporis morte terminatur. Levis, quia per societatem corporis fertur facilius. Gravis siquidem esset si eam solus animus portaret. Cum verò & ipsi corpori ejus partitur pondus, quanto magis inde corpus oneratur, tanto amplius animus exoneratur.

Locus etiam videtur necessarius esse & utilis, Ecclesia scilicet vitæ præsentis: in qua quisquis dum in corpore vivit, pœnitentiam rectè agere negligit, nullum in futuro salutis remedium obtinere poterit.

SERMO CVII.

*De affectibus orantium.*

**S**icut æger ad medicum, sic esse debet peccator ad Creatorem suum. Qui ergo peccator est, debet orare Deum sicut æger medicum. Duobus autem modis impeditur oratio peccatoris, vel nulla, vel nimia luce. Nulla luce illustratur, qui peccata sua nec videt, nec confitetur. E contrario nimia

*Ad agendam  
Pœnit. 3. ne-  
cessaria.*

*Tempus.  
a 2. Cor. 5. c  
b 2. Cor. 6 b*

*c Eccl. 10. a  
Tria tempora  
præter. præsent. fut.  
nullum perdit  
qui verè pœ-  
nitet.*

*d Ephes. 5. d*

*e Gal. 6. c*

*Corpus.*

*Locus.*

*Oratio duobus  
modis impedi-  
tur.*